



4567

1893

o-XVII, 291.

*g*

PROPOSITIONES THEOLOGICÆ DE LEGE ET  
Euangelio, in quibus summa & ordo Theologiae  
proponitur.

Alex Nabod.

Disputabuntur 25. die Octobris;

VVITEBERGAE;

M. D. L.



Dolchissimo anno  
tuo M. Daniell  
missit h. Vincen  
tus.

PROLOGI  
TYPISCHES  
GIGAS DE PLACET  
Ergänzung zu den Prologen  
in der Tafel

heda. 1514.

Deutschland in die Odyssäe

WATTEBRAGE

M.D.L

5

## DISPV TATIO.

### I.

Duo sunt principalia capita totius  
sacrosanctæ Theologiæ, Lex scilicet &  
Euangelium.

### II.

In his duobus tota doctrina de re  
gno Dei continetur, & omnes articuli  
catholicæ fidei summatim proponuntur.

### III.

Necessaria est igitur homini ad salu  
tem animæ uera Legis & Euangeli cognitio, quam qui non habet, nec partem in regno Dei habet. Nam noticia necessario præcedit fiduciam in adulto.

### III I I.

Lex est tota sapientia spiritualis de Deo & regno eius in tota natura rationali, docens quæ sit essentia & voluntas Dei, Item qualis sit homo à Deo creatus, & quomodo à Satana propter inobedientiam erga Deum, quem libera voluntate seductus, deseruit, corruptus sit.

A ij Ita

.CITA V.

Ita Lex totum regnum Dei iam in nobis destruētum, & regnum Satanae in nobis institutum toti generi humano ostendit, & nos populum & mancipia Satanae ex uno patre nostro Adamo natos esse conuincit.

V.I.

Lex. n. sua natura et per se sancta est, & tantū ostendit totum genus humanū esse peccatum, subiectum maledictioni Dei & potestati Satanae, & cum ipso condemnatum ad mortem eternam.

VII.

Euangelium uero docet, quod sicut ex uno homine iniusto in totum genus humanum peccatum & stipendum peccati, mors aeterna, per naturalem nativitatem propagatur, Ita & ex uno homine iusto Iesu Christo iusticia & uita aeterna cum spirituali regeneratione omnibus hominib. istum secundum hominem filium Dei ab ipso inter se & totū humanum genus mediatorem cōstitutū fide cordis apprehendentibus donatur.

Rom. vij.

VIII.

Ita per Euangelium imago & regnum  
Satanæ in nobis mortificatur, delectur &  
destruitur usq; ad finem, & imago &  
regnum Dei in nobis instauratur sicut  
scriptum est, Euangelium est potentia  
Dei ad salutem omni credenti.

IX.

Neq; tamen hic quisquam imaginari  
debet ipsum sonum Euangeli, ceu uer-  
ba magica, tantam uim et efficaciam  
habere, ut hominem transforment, sed  
cogitet Spiritum sanctum per uerbum  
vocale & Sacramentum uisibile esse  
efficacem, & simul cum uerbo regnum  
Dei in auscultantibus Euangeli ope-  
rari. Iuxta illud, uerba mea sunt spiritus  
& uita. Item Spiritus uiuificat, litera  
mortificat.

X.

Quia uero omne multiplex indistin-  
ctum parit confusionem, utrumq; hoc  
principale totius sacræ scripturæ caput  
in certos articulos subdividimus, Atq;  
adeo perspicue & plane totam doctrinā

A iij Christi-

Christianam proponemus, ut nemo  
conqueri queat se eam propter nimiam  
subtilitatem & prolixitatem percipere  
& cordi insculptam secum circumferre,  
ut iustum & necessarium est, nō posse.

### XI.

Lex continet tres articulos.  
i. de una essentia Dei & tribus personis  
deitatis.  
ii. de creatione omnium uisibilium &  
inuisibilium, & de statu hominis ante  
lapsum.

Homo est creatus ad imaginem Dei.  
iii. de statu hominis post lapsum.

Homo est propter inobedientiam suam  
ad imaginem Satanæ corruptus & man-  
cipium eius factus.

### XII.

Hi articuli fidei cum rationi huma-  
næ naturaliter nequaquam perfectè no-  
ti sint, Neq; integra Legis noticia natu-  
raliter homini inest. Nam etsi uerū est  
aliquas noticias legales nobis natura im-  
pressas esse, ut Deum esse mentem bo-  
nā creatricem & cōseruaticem omniū,  
causam

causam boni in tota rerū natura cui debeatur reuerentia & obedientia, ut scripserunt multi sapientes Ethnici, Simoniades, Plato, Cicero & Paulus Rom. 1. ij. Item mentem hominis, cœu per densam nebulam uidere, naturam humanam à Deo non talem, qualis nunc est conditam, Sed propria voluntate deteriorem factam esse, Tamen neq; de regno Dei in genere humano, neq; de regno Satanæ in natura humana homo naturali ratione quicquam intelligit.

Neq; possunt ulli hypocritæ, qui fingunt hominem suis operibus secundum legem Dei factis iustum fieri & manere coram Deo & promereri uitam æternā propria obedientia Decalogi, hoc argumentum refutare.

Perfecta noticia Dei, imaginis & regni Dei, Item imaginis & regni Satanæ in homine non est naturaliter nota humanæ rationi.

Lex est perfecta noticia Dei, imaginis & regni eius. Item imaginis & regni Satanæ in homine, Ergo noticia

A iiiij legis

legis non est naturalis ulli homini quam  
tumuis præstanti.

XIII.

Lex enim spiritualis est, Homo au-  
tem carnalis, ex omnib. & summis suis  
uiribus nihil intelligens de regno Dei,  
Imo regnum Satanæ in se pro regno  
Dei habens, & contra omnes damnan-  
tes suam religiōem & αδωλολατρίαν hor-  
ribiliter furens. Ioh. 14. 15. 16. 17.

XIV.

Hic genuinus sensus legis Dei ma-  
xime urgendus est cōtra hypocriticam  
Ecclesiam, quæ neglecta uera sententia  
legis abominandas corruptelas Euange-  
lij cōminiscitur, & singit hominem per  
iusticiam legis uerè iustificari corā Deo,  
cum homo ne quidem intelligat uere  
quid sit Lex.

XV.

Blasphema vox est Occam & aliorū  
Theologastrorum, qui docent hominē  
ex puris naturalib. posse implere legem  
Dei. Cum .n. homo, inquiunt, uxorem  
liberos & amicos sine gratia Dei plus  
quam

quam semetipsum diligere possit, Multo magis Deum summum bonum supra omnia ex proprijs suis viribus diligere poterit.

### XVI.

Hæc sunt diabolica mendacia cōtra ueritatem Dei in miserum genus humānum sparsa. Nam hīc manifeste doceatur filium Dei frustra passum & mortuum & ipsum mendacem esse, cum dicit, Ego ueni ut impleam legem, hoc est, ut instaurem regnum Dei in humana natura, quod in ea per legem Dei destruētum esse ostenditur, Iuxta illud, Propter hoc uenit filius Dei, ut destruat opus diaboli. In summa, tota sacra scriptura est merum mendacium, si homo potest proprijs viribus satisfacere legi Dei.

### XVII.

Deniq; cum nemo sanus negare possit hos tres articulos necessario semper docendos esse, affirmamus legem Dei in Ecclesia Christi perpetuo retinendā, inculcandam & acuendam esse generi humano. Deut. II.

A v Sed

## XVIII.

Sed dicas, Vbi Lex ante Mosen?  
Adam 930. annos omnes filios suos diligenter edocuit, & dixit, Ego primus homo in principio ad imaginem Dei creatus sum, particeps sapientiae, iusticie & beatitudinis Dei, ut vobiscum in eternum uitam diuinam uiuerem, Sed Satanus seduxit matrem uestram & nos sub potestatem suam propter transgressionem nostram mandati Dei adeptus ad imaginem suam corrupit, & nobis charakterem suum impressit &c. Hoc est non tantum docere, sed uidendam & palpandam dare legem Dei. Idem fecerunt cum ipso & post ipsum reliqui sancti patres, Seth, Enos, Kenan, Malaleel, Mathusalah, & alij usque ad diluvium, postea Noha, primi mundi Theologorum supra dictorum discipulus, doctor legis in novo mundo fuit usque ad 7. annum 2. millesimarij, cuius doctor fuit Abrahā, Isaac & reliqui sancti patres familias usque ad exitum ex Aegypto, ubi latius propagando genere humano Lex obscurior facta dedito.

digito dei conscripta, terribiliter ab ipso  
toti populo suo proponitur, & additur  
seuerum mandatum, ut eam omnes au-  
diant, Deut. 4. 5. 6. 7. 10. & 11.

### XIX.

Ibidem 27. dicit Deus, Maledictus  
omnis qui non permanferit in omnibus  
quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat  
ea.

### XX.

Hanc vocem legis suæ Deus uult  
perpetuo sonare in toto genere huma-  
no, ut operante Spiritu sancto : qui est  
efficax per prædicationem legis, om-  
nes homines agnoscant Deum & se  
ab eo ad imaginem ipsius in principio  
creatos esse & ex primo patre suo A-  
dam ad imaginem Satanæ corruptos ;  
eiusdemq; mancipia & æternæ mortis  
reos esse. Nam nisi ex lege per Spiritum  
sanctum homo perterrefactus fuerit, non  
est capax beneficiorum filij Dei, quæ  
Deus in Euangelio generi humano of-  
fert, teste ipso Christo Matth. 11. Pau-  
peres Euangelizantur, Item venite ad  
me

me omnes &c. Item sani non indigent  
medico, Et Paulo Rom. 1. 2. 3. Reue-  
latur ira Dei de cœlo &c. Omnes pec-  
cauerunt, Conclusit Dcus omnes sub  
peccatum.

### XXI.

Sed dicas, Concedo quidem non-  
dum regeneratis esse proponendam &  
acuendam legem, ne tales, tenebris ha-  
bentes obscuratum cor, ἀπηλγκότες se-  
metipsos tradant omni impudicitiae &  
laxent frenos omnibus diabolicis suis  
cupiditatibus. Non enim dubium est  
tales omnino impassibiles, qui prorsus  
dedoluerūt seu occalluerunt ad omnem  
sensum peccati cōculcare regnum Chri-  
sti sibi oblatum, sicut sues margaritas  
cōculcant, & eos, qui prædicant talibus  
Euangelium, horribili peccato pollui,  
Sed regenerati non sunt sub lege.

### XXII.

Respondeo. Verum est, Tamen  
debent perpetuo intueri legem propter  
tres causas.

1. Ut perpetuo intuitu uidentes in se se-  
imagi-

Imaginem & regnum Satanæ adhuc remanere, nō seducantur à Synagoga Satanæ & credant, quod quatenus caritas ad fidem & spem accedit eatus per iusticiam inhærentem in nobis uero iustificemur coram Deo. Sed ex toto corde suo, ex tota anima & ex omnibus uiribus credant, se esse iustos propter solam iusticiam in filio Dei inhærentem fide apprehensam.

Satanas mille artifex est & facile seducit Sanctos, si non perpetuo peccatum suum intueantur, ut credant se propter iusticiam spiritualem iam coram Deo iustos esse. Nam Spiritus est iustitia, Et quod natum est ex spiritu, spiritus est, Et in filijs Dei semen Dei manet. Sancti uero omnes nati sunt ex spiritu Dei, Quicumque enim spiritum Christi non habent non sunt Christi.

Et scit hostis filij Dei nos natura propria clues esse omnes ad superbiam & appetere gloriam ueræ & perfectæ iustitiae

cæcina

**oīæ coram Deo.** Igitur cum summoſ  
ſanctos peccato & morte uincere & ex  
regno Dei in ſuum regnū pertrahere nō  
potest, hac uia iipſos aggreditur, Scit .n.  
nullum hominem manere coram Deo  
iuftificatum, qui per inhārentem iuſti-  
ciam in ſefe, coram Deo uere ſe iuftifi-  
catum eſſe credit & statuit.

**Vt igittur ſemper Deo pro filio no-**  
**bis donato grati ſimus, & Christo me-**  
**diatori debitum honorem tribuamus,**  
**legem perpetuo intueamur, & firmiter**  
**ſtauamus ueram eſſe uocem Dei, di-**  
**centis, Maledictus qui non &c. Et qui**  
**reus eſt in uno, reus eſt omnium, Et**  
**Christi ſolam iuſticiam iudicio & ira-**  
**Dei patris aduersus peccatum noſtrū,**  
**ceu Clypeum contra ignem conſumen-**  
**tem opponamus.**

### **XXIII.**

**¶. Ut perpetuo intueamur regnum**  
**Satanae in nobis, & huic fortiter repu-**  
**gnemus, & strenue in nobis id deſtruam-**  
**us ſpiritu Dei, Et ut amissam imago-**  
**nem**

**CCCLXII**

nem Dei in hac tabula, eeu in speculo  
semper aspiciamus & ad eandem à cla-  
ritate in claritatem quotidie transforme-  
mur per eundem spiritum habitantem  
in nobis. Nam filius Dei homo factus  
est & passus est, ut destruat regnum Sa-  
tanæ in humana natura, & instauret re-  
gnum Dei in genere humano, j. Ioh. 3.  
Matth. 5. Ephe. 3. & 4. Rom. 4. Per  
fidem stabilimus legem.

### XXIII.

ijij. Experientia Sanctorum testatur  
pium cor nulla re excitari magis ad ti-  
morem & obedientiam erga Deum &  
invocationem nominis eius quam con-  
sideratione primi articuli legis. Hæc  
uera est instructio de spiritualibus ascen-  
sionibus, de quibus Monachi multa in-  
cepta finixerunt. Nam Christianus co-  
sitatione de essentia & voluntate Dei  
mirabiliter per Spiritum sanctum ad ui-  
tam Dei rapitur, & uitam mundi abo-  
minatur.

### XXV.

Euanget

Euangelium etiam tres articulos  
continet. 1. de Iustificatione.

Homo per solam iusticiam Iesu  
Christi fide cordis apprehensi coram  
Deo uere iustificatur, gratis, sine ul-  
lis suis operibus, hoc est, habet remis-  
sionem totius peccati originalis & om-  
nium delictorum præteritorum, Et non  
imputatur illi peccatum suum, sed im-  
putatur illi à Deo iusticia filij sui media-  
toris inter Deum & humanum genus  
constituti.

Ita sicut homo sine ullis suis meritis  
peccatum in se ex primo homine A-  
dam propagatum habet, Sic & sine ul-  
lis suis meritis Deus homini credenti in  
se iusticiam filij applicat, & cum hac  
candida teste totum induit, donec om-  
nia liniamenta imaginis Satanae in ipso  
prorsus deleat, & ipsum totum ad per-  
ficiam imaginem suam transformatu,  
& filio suo per omnia corpore & anima  
perfecte conformatum resuscitet in ex-  
tremo die, & ipsum faciat Sacerdotem  
*sanguinem*, *sanctum,*

sanctum; offerentem sibi hostias puras  
in secula, sicut scriptum est in libro Dei  
Apoc. 19.

## XXVI.

### ij. Articulus de regeneratione.

Homo per fidem Christi coram  
Deo uere iustificatus, simul regeneratur  
ad regnum Dei, per Spiritum sanctum,  
Iuxta illud, Rom. 8. Quos iustificauit  
Deus, eos & glorificauit, seu clarifica-  
uit. Nam Euangelium non tantum  
contionatur de remissione peccatorum  
hominis nati ex Adam & de imputati-  
one iusticiæ Christi, sicut multi perpe-  
ram imaginantur, Sed de destructione  
totius regni Satanæ in homine, quem  
Lex ad imaginem diabolicam corruptū  
esse ostendit, Et de instauratione totius  
regni Dei in homine, quem Lex ad  
imaginem Dei in principio creatum  
esse ostendit.

## XXVII.

Per Euangelium Deus imaginem  
suam, ad quam hominem condidit, ho-  
mini exhibet, In hoc quidem seculo

B tantum

tantum inchoatam, in illo uero perfec-  
tam.

### XXVIII.

#### iij. Articulus de Sacramentis.

Homo iustificatus in Baptismo per  
Spiritum sanctum, ad imaginem Dei  
regeneratur. Regeneratus homo a  
Deo per corpus & sanguinem Christi  
in coena dominica sumptum Christo,  
capiti suo & corpori eius Catholicæ Ec-  
clesiæ incorporatur, recreatur, confor-  
tatur, & filio Dei a claritate in claritatem  
per Spiritum sanctum, corpore & ani-  
ma conformatur.

### XXIX.

Sicut enim per uerbum vocale De-  
us regnum suum in Ecclesia sua opera-  
tur. Ita & per uisibilia Sacra menta effi-  
cax est in Ecclesia per Spiritum sanctum  
suum. Hæc qui contemnit, Deum  
ipsum contemnit, nec habet partem in  
regno Dei, Gen. 17. Hæc enim sunt si-  
gnacula, seu sigilla iusticiæ fidei, teste  
Paulo Rom. 4.

Hi sunt

### XXX.

Hi sunt fundamentales articuli Catholicae fidei, & principales loci totius Theologiae, quos credimus, docemus, confitemur & defendimus contra omnes portas inferorum.

### XXXI.

Et cum catholica Ecclesia etiam nostram orationem ad Deum in fide Iesu Christi, & bona conscientia dirigimus dicentes.

S Sancte, Sancte, Sancte, DOMIne,  
Deus Adam & Abraham patrum  
nostrorum, Deus Prophetarum, Apo-  
stolorum & Martyrum, & sancte Ca-  
tholicæ Ecclesiae, & omnium nostrum.  
DOMine Deus, atq; Pater dilecti filij  
tui, DOMini nostri Iesu Christi, Agi-  
mus tibi gratias toto corde, per eundem  
unigenitum filium tuum, Dominum  
Iesum Christum, ex Maria uirgine per  
Spiritum sanctum conceptum in oppi-  
do Nazareth, natum in Betlehem, pas-

B ij sum &

sum & mortuum in Golgatha Ierosolimana. Agimus tibi gratias toto corde, quod una cum filio tuo Iesu Christo, nos ad imaginem tuam creasti, & ex immensa bonitate tua æternam sapientiam, iusticiam & beatitudinem tuam, per Spiritum sanctum tuum nobis communicasti, Et à te ad Satanam lapsos, eiusq; mancipia factos, ac ab ipso ad imaginem suam corruptos, ex potestate Satanæ, & regno eius peccati & æternæ mortis ex incomprehensibili erga nos amore, per mortem dilectissimi filij tui liberasti, Atq; per fidem eiusdem unigeniti filij tui, & mediatoris nostri Iesu Christi, ad imaginem tuam, per Spiritum sanctum tuum regenerasti.

Et regnum tuum æternæ sapientiæ, iusticiæ & uitæ tuæ nobis restituens, nos filio tuo per corpus & sanguinem eius, nobis in sacrosancta cœna ipsius datum incorporasti, Præparans nos tibi in Templum sanctum, & æternum per

per Spiritum tuum, habitantem in nobis, propter solum filium tuum, ueram & perfectam iusticiam nostram coram te, Ac rogamus te toto pectore, Pater noster, qui es in coelis &c.

Impressum VVittebergæ,  
Per Vitum Creutzer.





*Yg 3469*

**ULB Halle**  
004 396 014

3



*5b.*

*m*





## Farbkarte #13



PROPOS  
IONES THEOLO  
ICÆ DE LEGE ET  
uangelio, in quibus sum  
ma & ordo Theologiae  
proponitur.

Alex Nabod.

putabuntur 25. die Octobris;

VVITEBERGAE,

M. D. L.



Dochssino anno  
two M. Danck  
missit h. Vincen  
tius.